

XIV circius, medicinae inserviuntur aīdū invix  
mūb nomata. 7. 7. 7. 7. 7. 7. 7. 7. 7.

## DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

## CHOREA.

AUCTORE RICHARDO MOULSON.

SENTENTIÆ, quas de Choræ curatione medi-  
cis amplecti placuit, adeo inter se diversæ, con-  
siderare nos impulerunt, quare hæc res hodier-  
nis temporibus ita se habeat ; eoque potius,  
quod plures et luculentí hujus mali commenta-  
rii extent. Harumque certe ratio redi non  
potest, nisi quod homines, variis temporibus di-  
versissimas morbis causas assignarint : propria  
enim cuique de his notio sustentanda est, colore

A

[1816]



quam lætissimo, si diis placet, (re ipsa mero et vilissimo fuco) decorare et illustrare gestit : exque toto oblitus scopum laboris sui, hoc est, verumne sit quod affirmat, non solum ipse in errorem delabitur, sed et alios, si forte fortuna locum ampliorem is obtinuerit, auctoritate sua in eandem et fallacem semitam illicet. Recentioribus tamen bene cessit, ut amor hic nos invadens omnia perquirendi, cuius libet dicto acquiescere, antequam et rite scrutati simus, et clare probaverimus, id ipsum esse verum, *Anatomia nisum*, exque severa humani corporis *Physiologia deductum*, non siverit.

Nullus morbus sibi medici attentionem potiore, quam hic, jure vendicabit. Si reputemus, quam nulla corporis pars mutationem subire potest, sive in fabrica, sive munere suo, quin statim illius functionum mutatio subsequatur ; non illico videmus ut necesse sit effecta pessima nimiam virium nervorum actionem comitantia, præcavere : quibus intelligendum volo, contractionem muscularum nimis diu produc-

tam, partem sic præter naturam exercitatam, cum fabrica et functionibus suis serius ocius in morbum conversuram, nisi quodammodo inhibatur. Necesse est enim talem irritationem diutius adhibitam, reliquum corpus sine remedio corrumpere. Atque hæc certiores didicimus, cum non sine dolore spectaverimus conatus ad hunc morbum devincendum, vel strenuissimos omnino deficere.

Omnes, quae vivo homine fiunt mutationes, ad mutationem postremo referantur in modo agendi quarundam ejus partium. Sensus mutationes in morbis adeo quotidianæ, quales dolor, torpor, sensus perturbatus, in plerisque exemplis ad mutationem actionis quandam, sive partis ipsius, sive alius et per nervos consentientis, facile investigari potest.

In morbis curandis, causæ diligentissime exquirendæ sunt, omniq[ue] ante concepta ratione omissa, ad signa, qualiter oculis pateant, animadvertendum est; nullus enim morbus leges

certas accipere potest. Qui valetudinaria publica nutrierunt, quibusque pauperculos utique extra ædes ægrotantes invisere contigerit, probe sciunt, ad quam diversa auxilia, diversis hominibus licet eodem morbo, et hoc ex eadem causa excitante, sicut contagio, &c. jacentibus, confugiendum est. Vasorum compagines, sive arteriæ, sive venæ, sive vasa *lymphatica* fuerint, ut præcipuus agitator (quod recte notavit Doctor CLUTTERBUCK \*) in omnibus tam naturalibus, quam morbosis humani corporis mutationibus. Jacturam simul et incrementum corporis, animi quidem vires molitur. Actionibus ejus, si integræ, et vita et sanitas nascuntur; sin abnormes, morbum et necem plerisque exemplis inferunt. Pauci quidem existunt morbi, ad compaginem vasculorum quasi sedem et originem qui non referri possunt. Affectuum *spasmodicorum*, distentionum, dolorum quoque *Nosologis* inter primarios relatorum, plerique nihil aliud profecto sunt, nisi remotiora et

\* Inquiry into the Seat and Nature of Fever. London 1807.

fere secunda ex turbata vasorum actione effecta, in cerebro nimirum aliisve generis nervosi partibus. Vix animalis partem invenies, quae ipsa nihil agens, actus extraneorum tantum patitur. Nervi, cum tunicis suis, vasculis instruuntur, quæ ideoque vi musculosa gaudere necesse est. Eaque vis, si quando se exerit, consimilem in conditione nervorum mutationem efficere, indeque sensum eorum plus minus perturbare debebit.

LIEUTAUDIUS \* imaginari nihil veritus est, distentionibus iis atque convulsionibus, quibus LINGUÆ sensus et facultates integra perstant, medullam spinæ læsam fuisse: atque contendit, humorem aquosum inter ejusdem tegumenta ferme sectione inventum esse.

Causis morbi ipsius accuratius perpensis, quales nimirum earum effecta indicant: et præsidia indicare minore negotio, et spem melioris exitus fovere potuerimus. Etenim “ consue-

\* Précis de la Médecine Pratique, Livre i. p. 215. à Paris 1761.

“tudine oculorum,” (verba CICERONIS \* sunt)  
 “assuescunt animi, neque admirantur, neque  
 “requirunt rationes earum rerum, quas semper  
 “vident.”

Ubi in mortem desiit, corporis extispicium, ni  
 fallor, sedem mali luculenter ostendit: sed va-  
 rii auctores, qui id tractaverunt, diversissime  
 conclusisse a rebus utique visis apparerent.  
 Casus fere infiniti *chirурgo* sese offerentes, qui-  
 bus, cerebro compresso, distensiones teterimæ  
 cientur, indicant, crediderim eosdem effectus  
 accedere ex causis ejusdem quidem generis, at  
 vehementia admodum variantibus.

Inter causarum hujus morbi contemplatio-  
 nem, exituumque ejus corpore inciso visorum  
 considerationem, sententiam meam plane atque  
 dilucide illustrare me posse spero.

\* De Natura Deorum, lib. ii. cap. 38.

---

---

DEFINITIO.

CHOREA morbus ex genere distentionum aut convulsionum est, quo musculi artuum aliorumque membrorum motus varios animi injussu subeunt, motusque illos arbitrio effectos modo valde inordinato peragunt.

Hunc affectum esse *paralyticum* crediderunt illustrissimus MEADIUS et PITCAIRNUS: SYDENHAMO vero distentio quædam visus est: CULLENUS choream nominavit, atque tam ob ætatem, cui fere accedit, quam ob motus, quos exhibet, inordinatos, in CLASSE *Neuroses*, ORDINE autem *Spasmi* collocavit, et hisce verbis malum propositum definivit: “ Impuberes utriusque sexus, ut plurimum intra decimum et decimum quartum ætatis annum adorientes motus convulsivi ex parte voluntarii, plerunque alterius lateris, in brachiorum et ma-

“num motu, histrionum gesticulationes referentes ; in gressu, pedem alterum sæpius trahentes quam attollentes \*.”

---

### HISTORIA MORBI.

SUB eo nomine, “chorea,” non eam speciem distentionum nervorum, quæ a GREGORIO HORSTIO † et JUNCKERO ‡ memoratur, complector ; nec eam, quæ in quibusdam Scotiæ || regionibus peculiaris esse dicitur, et cui exemplum WATSONII § aliquam similitudinem habere videtur, et etiam similibus casibus PLATNERUS ¶ nomen Tarantismi dedit ; neque etiam cum ea, quam MEADIUS \*\* denominatione *Demoniacks* Anglice notavit ; sed ei morbo tantum, qui sub nomine choreæ †† intelligitur.

\* Vide Cullen. Synops. Nosolog. Methodicæ, Gen. 49.

† Greg. Horst. Opera Med.

‡ Juncker. Conspect. Patholog.

|| Edinburgh Med. and Surg. Journal, vol. iii. p. 434. et seq.

§ Medico-Chirurgical Transactions, vol. v. p. 1.

¶ Platner, Art. Med. f 644.

\*\* Medical Works, 4to, p. 617. 625.

†† Cullen's First Lines, f 1347-54.

Operæ pretium vix esset historiam choreæ absolutam enarrare, cum a plerisque hanc rem tractantibus, ordine proposita fuerit. SYDENHAMUS, primus omnium, ut videtur, tota illa mala, quæ nunc vocabulo chorea continentur, simul descriptis. JACOBUS HAMILTONUS præclarus, libro suo eximio \*, conspectum morbi tum latiorem tum accuratiorem revelavit.

Nullo discrimine habito, chorea mares cum fœminis pariter invadit, eos † præsertim, quibus corpus imbecillus, quibusque valetudo et robur naturale, sive situ, sive cibis parum idoneis, fuerint conquassata. Inter octavum fere et decimum quartum annum obvenit; aliquando tamen in puellis ad decimum sextum, vel decimum octavum annum usque visa est. Accessus plerumque lentus: prænunciant vero solita procacitas atque lascivia exuta, mutabilis neque raro inexplebilis cibi cupiditas induit: non.

\* Observations on the Utility and Administration of Purgative Medicines, 5th edit.

† "Ex ægris quos vidi, tantummodo quarta pars fuere mares," Heberden. Commentarii, p. 92.

nullis imus venter tumet et indurescit, aliis mol-  
lis flaccet. Leves motus, parum regulares, brevi  
notantur, maxime per faciei musculos, præ-  
nuncii vehementiorum convulsionum, dehinc  
omnem amicorum correpte attentionem ven-  
dicantium. Distensiones ipsae admodum va-  
riant. Musculi artuum et faciei, maxillæ in-  
ferioris, capitis, trunci demum corporis, aliter  
aliis temporibus afficiuntur. Hoc in statu æger  
parum firme ingreditur; incessus saltationi vel  
subsultui cuidam propior: modo non ingredi,  
paralyticus quasi, neque motus solitos atque  
necessarios per brachia correpta efficere potest.  
Postremo, cum ipse quiescere volet, musculi  
injussu animi assidue artus, vultus et truncum  
motant, distorquent. Si cui vero motui volun-  
tas adhibeatur, ægre, inordinate, neque ante  
varios et inutiles conatus, tandem efficitur. “ Si  
“ vās aliquod potu repletum in manus porriga-  
“ tur, antequam illud ad os possit adducere,  
“ mille gesticulationes, circulatorum instar, ex-  
“ hibebit; cum enim poculum recta linea ori  
“ admovere nequeat, deducta a spasmo manu,

“ huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem  
“ forte fortuna illud labris proprius apponens,  
“ liquorem derepente in os injicit, atque avide  
“ haurit, tanquam misellus id tantum ageret,  
“ ut dedita opera, spectantibus risum move-  
“ ret \*.” Jactationes hæ convulsivæ plus mi-  
nus vehementes perseverant, nisi inter somnum,  
quo plerumque omnino quiescunt : aliquando  
tamen perstant, morboque valde ingravescente,  
assidui motus somnos maxime perturbant et di-  
rumpunt. Procedente morbo, loquela impedi-  
tur, neque raro erepta est. Cibus quoque sub-  
inde devoratur ægerrime. Oculi non amplius  
nitere ; animum ipsum amplius exhibere. Pal-  
lor, languor, inanitatis nescio quid vultum oc-  
cupat ; quæ res ægrum quasi fatuum repræsen-  
tat ; immo dubium non est, quin morbo diu-  
tius consistente, fatuitas quodammodo faculta-  
tes obscuraverit. Febris nequaquam ex neces-  
se chorea sociatur, sed cum jam morbus ali-  
quamdiu substiterit, marcor et mollities car-  
nium subsequitur, irritatione nimirum, appeti-

\* Vide Sydenham. Schedula Monitoria de novæ febris ingressu.

tus cibi jactura, concoctione ejusdem depravata, choream omnem productiorem comitantiibus effecta. Morbus rarissime periculosus est. Nam, ut BICHAT notat, " Les spasmes, les convulsions qui naissent d'une énergie contre nature dans l'action cérébrale, et qui portent d'une manière si visible leur influence sur les fonctions externes, modifient très-foiblement, et souvent pas du tout, les exhalations, les sécrétions, la circulation, la nutrition des parties où ils se développent. Dans ces divers phénomènes maladifs, c'est une chose bien digne de remarque, que le calme où se trouve la vie organique, comparé au trouble; au bouleversement qui agitent la vie animale dans le membre, ou dans la partie affectée \*."

\* Recherches Physiologiques sur la Vie et la Mort, troisième édition, p. 528.

---

### DIAGNOSIS.

VERBA etiam de hac multa facere parum conferret, cum modum, quo hic pro alio morbo percipi potuerit, me non perspicere confitear. Indicia epilepsiam demonstrantia, et in primis, sentiendi facultas deleta, chorea prorsus absunt. Neque hercule vel tyro hunc affectum cum tetano, tendinumve subsultu confunderet. Morbi accessus, progressus, ægri ipsius ætas, variæque res illum comitantes, satis superque mali genus indicabunt, et hoc quidem extra aleam ne casu quodam aliis videatur.

---

### PROGNOSIS.

FABRICA corporis nullo in loco per actionem antecedentem et diutinam destructa vel muta-

ta, præsagium bonum exhibet. Si cibi desiderium naturale sit, si oculus splendorem, intellectusque indicia recipiat, si vultus hilarescit, si puer muscularum qui arbitrio animi parent, motus temperare valeat, si stercore coloris soliti naturæ convenienter descendant, si carnes et robora renovantur, alia post alia; tum demum ægrum salvum fore sperandum. His autem contraria, morbusque epilepsia mutatus, pessima denuntiant.

---

### CAUSA CONTINENS.

SPASMI causam continentem, vel proximam hoc esse intelligo: nervum scilicet vel nervos musculos spasio vel inordinate contractos ad-euntes, ab offensa aliqua irritari, ideoque vim suam (quicquid demum id sit) inæqualiter impertire. Nervum irritare, exempli gratia, cui-vis musculo impensum, contractionem insolitam eodem in musculo continuo exhibet. Cau-

sa, quae nervum irritat, excitans est ; nervus autem irritatus, causa est continens, cuius contractio musculosa effectus est : hoc est, hæc causa proxima vocatur, quia proxima mutationis effectæ locatur. Causa remota, ait ZIMMERMANNUS, ea est, quæ ut existere possit aliquid, efficit : causa autem proxima, quod rem constituit, sublata tollit, mutata mutat.

Posceret aliquis, unde muscularum contractio pendeat ? a viribus nervorum eos adeuntium, respondendum erit : Quapropter, si muscularum contractio præter naturam intendatur, vires, quibus eorum actio pendet, æque intendi necesse est : atqui functiones vivi hominis, ut recte expleantur, æquilibrium compaginem vasculorum inter et nervorum sustineri oportebit ; unde facile patebit, quantas causas actionum abnormum harum utralibet præpollens genitura sit.

## CAUSÆ EXCITANTES.

ATQUE hic mihi ignoscendum volo, si verba celeberrimi olim Professoris inter Germanos iterarem : “ Un médecin qui ne connaît pas les causes des maladies, ou qui ne peut au moins déterminer avec la plus grande probabilité les causes possibles dans le cas actuel, n'est pas capable non plus de guérir la maladie, parce qu'il ne peut en attaquer les causes \*.” Quantum opus sit morborum causas explorare novit quisque medicus, attamen easdem nimium neglectas et ipse viderim. Causas sive simplices, sive multiplices, morbum sub lite producere valentes, simulatque cognovimus, causas ipsas quod ad vires suas contemplamur : atque sic ratione instituta de eorum antea effectis, et post efficiendis, simul judica-

\* Zimmermann, Traité de l'Expérience, &c. Traduit de l'Allemand, par M. le Febvre de V.D.M. à Montpellier, 1797.

mus. Cum omnibus numerosis morbus effectis quæ ab his causis oriri posse videmus, congruet, tum demum morbum comprehendere dicamur.

Causæ quam plurimæ choreæ tributæ sunt. Auctores eam ad cutem deflorescentem, rheumatismum, febres acutas, morbos ventriculi, hydrargyri usum incommodum, terrorem, affectusque alios animi fortiores retulerunt, &c. Causæ vero frequentiores sunt lumbrici, stercore multa in alvo contracta, et dentitio.

Distentionibus laborantium corpora ostendunt venulas apud originem (sive qua ex cerebro, sive ex medulla spinæ, nascatur) istius nervi musculos agitatos suppeditantis, turgescere, nervumque urgere: nervos autem musculorum nil tale patientium, et pressu intactos, prorsusque naturales. Quod si hujusmodi discrepancia vasculorum per tunicam internam nervorum musculos convulsos subeuntium perpetua sit, aliquid inde veri elici posse speraverim.

Experimentis constat, venas in cerebro vel medulla spinæ turgentes motus spasticos fere excitare \*. Neque hic quid conferret omnes distentionum recensere causas, quales scilicet auctores memoriæ prodiderunt, de cerebro † vi compresso, de latice in ventriculos profuso, de sanguine mero in cerebro nimis largiter impac-  
to, &c. Denique, ut mihi videtur, quicquid nervorum musculos qui menti serviunt ingre-  
dientium irritationes excitare et excitatas ser-  
vare potuit, id choream excitare valebit, neque aliter vincetur morbus, quam hoc e corpore pe-  
nitus tollendo. BURSERIUS descriptionem lo-  
corum distentionibus mortuorum anatomicam scripturus, hæc verba habet: “Anatome de-  
“ texit, præcipuam sedem morbi, quando pri-  
“ marius atque idiopathicus est, cerebrum esse  
“ et spinalem medullam, sed frequentius, et cer-  
“ tius, hanc postremam ‡.” “ Causæ horum

\* Vide Seeds, Dissertat. Inaug. de Sanguine Misso. Edin. 1815.

† Assidua jactatio brachii et cruris sinistri, initium duxit ex corpore purulento, in quod dextra pars cerebri conversa erat. Heberden Com-  
mentarii, p. 352.

‡ Institut. Medicin. Pract. f 256. Lipsiæ, 1787.

“ motuum inordinatorum sitæ esse videntur  
“ nunc in nervis partis affectæ, nunc in cere-  
“ bro, vel medulla spinali \*.

---

## SECTIO CADAVERUM.

“ Si quis, ex anatome, ad quam partem de-  
“ scendant singuli nervi, a medulla spinali  
“ prodeuntes, cognoverit, affectas sedes quam  
“ facillime inveniet †.” Cum scriptorum ve-  
tustiorum opiniones descriptiones quas edide-  
rint anatomicas aliquantulum temperaverint,  
dicta ipsa LIEUTAUDII subjicere ausus sum, quæ  
infra subjeci ‡.

\* Heberden. p. 351. Vide etiam Dr John Clarke's Commentaries on the Diseases of Children, Part I. p. 90. et seq. London, 1815.

† Galen. De Locis Affectis, lib. iv. cap. vii. Charter, tom. vii. p. 465.

‡ “ Après ce que nous avons exposé sur les causes évidentes des con-  
“ vulsions, on juge bien que nous aurions trop à faire, si nous voulions  
“ rapporter tout ce qu'on a observé dans les *cadavres*, qui peut y être re-  
“ latif. Nous ne ferons donc mention que de ce qu'on a découvert de  
“ plus particulier au *cerveau* et à la *moëlle de l'épine* : on a vu dans le  
“ premier tous les vaisseaux engorgés, mais rarement des extravasations  
“ de sang : on y a observé très-communément des inondations, sur-tout

BURSERIUS, postquam partium conspectum distentionibus mortuorum descripscerit, hoc modo continuat : “ Vasa item piæ matris supra lobum posteriorem utrumque, sed magis sistrum, infarcta sanguine in cadavere tetano perempti ita erant, ut purpurasceret. Sub eadem tenui meninge stagnabat humor latus, albidus, ad utrosque lobos late effusus. In occipite vero ad cerebelli basin seri rubelli cochleare deprehensum est, referente HAE-NIO.” Et BURSERIUS sic notat, “ Sed in his postremis observationibus nulla fit de spinali medulla commemratio. Si ea fuisse inspecta, aliquid fortasse, quod superiores confirmaret, exhibuisset \*.” MORGAGNUS exem-

“ à la base du crâne, aux environs de la moëlle allongée, et dans le quartier ventricule. On a apperçu quelquefois des tumeurs qui avoient différens sièges ; on a trouvé assez rarement de la sécheresse dans le cerveau et ses enveloppes ; mais rien n'a été plus commun que la suppuration ou la pourriture. On croit avoir remarqué que la moëlle de l'épine étoit le siège des convulsions qui laissoient la liberté des sens et celle de la parole : on y a découvert tous les désordres dont nous venons de parler ; mais les inondations entre ses deux enveloppes, sont les plus ordinaires : on a enfin trouvé les vertèbres cariées.” — Lieutaud. Précis de la Médecine Pratique, 8vo, 2<sup>de</sup> édition, à Paris 1761, Livre i, p. 215.

\* Institut. Medicin. Pract. f 256.

plum narravit, quod ejus ipsissimis verbis usus \*, citavi.

“ Juvenem ætate unius et viginti annorum, arte lanarium, febris cor-  
 “ ripuerat, cui delirium accessit, ut vincire necesse fuerit. Remisso de-  
 “ lirio, in nosocomium hoc tulerunt, ubi statim sunt artuum superiorum  
 “ convulsivi motus, tendinumque in carpis subsultus animadversi: in san-  
 “ guine autem misso nulla quidem crusta, sed ipsius densa, compacta-  
 “ que substantia. Soporosa gravis se adjunxit affectio; ut, tres novissi-  
 “ mos dies nihil locutus, decesserit. Cadavere hoc cum usurus essem ad  
 “ quædam non intra cranium dumtaxat, sed et intra superiorem spinæ  
 “ partem diſcipulis ostendenda, thorace primum aperto, nullaque in eo  
 “ re adnotatione digna, præter unum prædurum pulmonum lobum, ani-  
 “ madversa, hisque, aliisque visceribus et partibus, quae amovenda erant,  
 “ amotis, dum quinta thoracis vertebra a sexta disjungeretur, multa aqua  
 “ ex spinæ tubo defluxit. Nonnulla quoque de cranio exiit, cum mox  
 “ circumsecaretur. Cujus fornice, subjectaque huic crassa meningae  
 “ demptis, vasa per tenuem reptantia, ad posteriorem partem sinistri ce-  
 “ rebri hemisphærii nigro sanguine distenta conspeximus, (qualis mul-  
 “ tum, cum vasa colli secarentur, defluxerat), ibique sub eadem tenui  
 “ meninge quibusdam in locis quasi *gelatinæ* speciem, non sine aëreis  
 “ bullulis; quanquam nulla erat usquam graveolentia, neque id anni  
 “ tempus, nimirum circiter medium Martium A. mDCCLXV. ut vix triduo  
 “ a morte putrescere cadaver deberet. Dissectum cerebrum, quod erat  
 “ prædurum, puncta passim per medullarem substantiam ostendit san-  
 “ guinea, quæ mox in sanguineas gutta se dilatabant, multi, fluidique  
 “ sanguinis indicia. Sed et in lateralibus ventriculis, qui aquæ aliquid  
 “ vix retinebant, choroides plexus ex rubro propemodum nigricabant.”  
 Alveo spinali patefacto, notavit: “ Denique, spinali medulla a cranio ad  
 “ quintam usque thoracis vertebram diligenter inspecta, vasa sanguife-  
 “ ra vidi quæcunque per ejus tenuem meningem discurrunt, sanguinis  
 “ adeo plena, in facie praecipue posteriore, quasi ab injecta rubicunda  
 “ materia fuissent præter modum distenta. Sed et sanguifera vascula ex  
 “ iis quæ spinæ nervos, præsentim quosdam, stipabant, turgiora sanguine  
 “ animadverti\*.” Quæ dissectione conspecta sint, Morgagnus iterum

\* De Sedibus et Causis Morborum, Lib. i. Epist. X.

Hoc autem exemplo, diligentissimus hic naturæ scrutator, quod causa fuit, effectum credit: Hic enim juvenis febre correptus est, cui delirium accedit. Hoc temporis vasa sanguifera, capitis præsertim, valide exigere contenta sua excitantur, atque hæc actio nimium producta, ea ipsa debilitat, vimque contractionis aut imminuit, aut ex toto corrumpit. Quo facto, sanguinis plus hæc accipiunt, quod cerebrum comprimens, torporem memoratum infert. Vascula sanguifera spinæ medullæ inspersa vix aliter afficiuntur, nisi quod, pauxillulo vis nervosæ adhuc retento, per ipsa inæqualiter distributo, hicque magis quam illic contrahi permittente, (*aneurisma, e. g.*), in quo partes aliæ aliis turgentiores fiunt; motus illi abnormes, seu convulsivi effecti sunt, ab æquili-

recensens, sic pergit: "Roseus autem ejusdem glandulæ color ab eadem videtur fuisse causa, a qua in tenui meninge, imo in proximo anexoque plexu choroide novissime sanguis restitit. Quae causa, an convulsio fuit, quæ tenui crispata meninge sanguifera vasa hic illic arctaverit, ut ibi sanguinis cursu tardato, proximi vasorum rami dis tenderentur? vides enim, idem accidisse *circa medullam spinalem*, qua "parte nervis, qui convellebantur, brachialibus certe prospicit."

brio nimirum inter nervorum et sanguiferorum compagines interrupto.

Quæ sequuntur præcipua morbi indicia sunt, quantum notare potuimus, in corpore puellæ annum nonum decimum egressæ, atque, licet ratio purgatoria summo opere adhibita fuerit, chorea extinctæ. Chartula, qua minutiora incisionem corporis spectantia fideliter exaraveram, forte amissa, jam dicenda (quæ quidem notitia digniora) memoria sola mihi oportebit. Caput parum affectum est ; seri in ventriculis aliquantillum, in cavo cerebelli proprio summaque spina : tunica ex dura matre derivata a capite ad sacrum usque rubebat : vascula per tunicam a pia matre internam turgebant, maxime in cervice et cauda equina : seri non nihil per tunicam arachnoideam vasculaque rubra per filamenta nervosa, atque hæc non minus conspicua in cervice et cauda equina. Hoc autem in casu nihil quod mortem explanaret præter medullæ spinæ conditionem, aquamque summa cervice, inventum est.

---

## DE RATIONE MEDENDI.

CUM reputemus hujus morbi curationem, omni fere seculo medicorum illustriorum attentionem sibi vendicasse, optimamque medendi rationem experimentis et usu potissimum niti, neque ex cogitationibus, inquisitionibusque anatomicis de ejus natura et origine nequaquam natam esse, theoriam quampiam utut principiis veris extractam, choreæ protinus curationem ad umbilicum ducere, vix aut ne vix sperandum est. Minime vero dubium est, quin notiones accuratæ de malorum origine et natura, sua nec parva incommoda semper medicinæ præstabunt. Monent, scilicet, ne remedia modo supervacua, haud raro noxia adhibeantur : atque sin alias et feliores medendi rationes non suggestant, harum utique quæ manu sunt, usum docent circumspectiorem atque commodiorem: dum iisdem carere, in dubio de

viribus et effectis remediorum veris, et errore versari est ; neque raro, ut circumforanei solent, omni discrimine omisso, ad auxilia contraria et alienissima nosmet perducere.

Sententiæ multiplices et inter se diversissimæ auctorum (ab experientia rei medicinalis jure celebrium) de hujus morbi curatione, tyronum animum, si quid aliud, magnopere perplexum et confusum dant. Quod enim Appendix subnexui, aliquis considerans, quantumque curatio utraque valeat æstimans, alterutra plus ægris profecisset, magisve sibi diligenda esset, pronunciare omnino requiret. Scripta auctorum variarum medendi rationum fautorum evolvendo, cuique laudes suas, neque minimas esse inveniemus. Requirendum tamen puto, antequam cuivis horum laudes tantæ extolluntur, num aliis deficientibus, hac sola ratione valetudo perpetue restituta sit : num rursus hac nihil proficiente, alia quævis ægro valetudinem et robur pristinum conciliaverit ? Nemo, ni fallor, de hoc morbo affirmare sic auderet : “ Hoc

“ remediorum genere, atque hoc solo usus,  
“ morbum semper me fugasse testor.” Primo  
certe aspectu mirum videatur auxilia naturæ  
adeo diversæ, suo quodque tempore, in mani-  
bus medicorum diversorum tantum profuisse.  
Quænam hujus rei ratio reddi possit? Cincho-  
na, præparata ex ferro, oxydum zinci, nitras ar-  
genti, sulphas et ammoniaretum cupri, arsenici  
solutiones, myrrha, opium, cardamines flores,  
digitalis purpurea, purgantia omnigena, anti-  
spasmodica, aliaque fere innumera medicamen-  
ta, prout cuique responderint, vel placuerint,  
variis temporibus, pari tamen fructu, adhibita  
sunt. Aliis, aura electrica et balneum ex aqua  
frigida bene cesserunt, plurimis interim et lau-  
datissimis præsidiis incassum ministratis. Alii  
contra exempla choreæ libere recensuerunt,  
ubi nulla medendi ratio per se quidquam profi-  
ceret: ex quibus unum alvi purgantia, cui vi-  
num et roborantia potius nocuissent, ad sanita-  
tem perduxerunt: alt rum purgantibus exaspe-  
ratum, vino et cortice cinchonæ sanatum est.

Doctor REEVE \* intra sexdecim annos se chorea laborantium xxxv vidisse narrat. Horum omnes ad unum sub omnigena curandi ratione, a vehementissimo pariter atque insulsissimo, aut, ut visum, inertissimo æque revaluisse.

Ex his et similibus, quis modus curationis deduci potest? aliudve ex alio remedio tentandum erit, donec curationem effectam forte fortuna reddamus? Huic utique modo parum inest artis, neque augenda erit quæ libet ars, nisi funditus excogitamus, quo pacto hæc aut illa mutatio fieri quivisset, unde pendeat, qua demum ope superanda sit. Actiones vivi hominis regulares ab æquilibrio inter compagines vasculorum et nervorum pendere (ut dictum fuit) facile patebit: quomodo harum altera casu præponderans æquilibrium hoc evertere, actiones abnormes inducere contendet. Effectus vero aliquis non tollitur, nisi causa sublata; neque si (quod volui) in causis choreæ sententiam dilucide explanavi, in obscuro erit, quod

\* Edinburgh Med. and Surg. Journal, vol. viii. p. 313.

ultra fieri debebit. Vermes \*, sordesve alvum vexantes prius amovendæ sunt, quam mala quid levari sustineant ; hocque submuriate hydrargyri, aloë, sæpiusque alvum movendo, commode fieri decet : nullo enim in morbo quid melius cessurum speremus, dum irritamenta interim in viis (ut dicunt) primis servata sint †. Quod si dentitio hæs distensiones spasticas moverit, tum ferro gingivas liberaliter incidere, alvuimque penitus expurgare, morbum solvet. Quando vis contra capiti illata tales motus excitaverit, tum chirurgus ante vocetur, quam signorum allevamenti aliquantillum sperandum sit.

Chorea, febrem aliamve nervosi generis irritationem diutius productam excipiente, præsi-

\* Voyez l'Observation, par M. Siblot, Journal de Médecine, Juillet, 1783, in-12. tom. Ix. p. 22.

† “ Le besoin des purgatifs se déclare par une lourdeur épigastrique, et une tension incommode des hypocondres et de l'abdomen. La présence des saburres dans la cavité intestinale s'annonce par la fétidité de l'haleine, par la langueur des digestions, symptômes infaillibles d'une diminution des propriétés vitales de l'organe qui les accomplit, par des selles de mauvaise qualité, par l'embarras des fonctions du foie, de la rate, du mésentère, en un mot, par la diathèse gastrique universelle.” J. L. Alibert, Nouveaux Elémens de Thérapeutique et de Matière Médicale, p. 271. 3<sup>e</sup>me édition, tom. 1<sup>er</sup> à Paris, 1814.

dia nobis aliter adhibenda sunt. Præter libera-  
ram ex alvo sordium (a motus contractilis sui  
defectu) inibi contractarum expurgationem,  
præterque curiosam explorationem ne dentes  
has corpori turbas sustineant; hirudines (pro  
ætate pueri, et si hirudines non acquiri pos-  
sunt, cucurbitulæ cruentæ a nobis petitæ sunt)  
cervicibus posterioribus admovendæ sunt; post-  
quam sanguinis satis effluxerit, ibi emplastrum  
meloës vesicatorii superimponi oportebit. Quod  
si alteruter artuum inferiorum corripiatur, idem  
supra coxam fieri debere judico. Neque mi-  
nus linimentum ex oleo terebinthinæ cum oleo  
oleæ Europeæ, vel linimentum ex camphora,  
vel linimentum ex olei succini purissimi uncia  
cum tincturæ opii semuncia compositum, per  
totam ægri spinam vesicatorio jam illæsam, in-  
fricare: hoc est, remedia originibus nervorum,  
unde in musculos jactatos proficiscuntur, quam  
proxime admovere.

Quanquam hac ratione aliquamdiu perseve-  
ravimus; conatus, aliquibus in exemplis frustra-

ri possunt, morbo scilicet cum fatuitate usque-dum subsistente. Cum hoc accidat, remedia adversus caput dirigenda sunt, ab effectibus \* enim cavendum est quam jam dicti multo mi-nus imperii patientibus. Temporibus hirudi-nes, capiti vesicatoria accommodentur; vigor simul corporis universi sustineatur: atque sic pertinaciter insistendo, effectus, ut puto, supe-rare valebimus, qui sub curatione vulgatiore medicos nonnullos mire torserunt, et nonnun-quam in mortem desierunt. ALEXANDRO TRAL-LIANO notatur: “ Si igitur ex superioribus par-tibus quædam affectæ fuerint, nempe oculus, “ nasus, aut lingua, aut quædam in facie, con-“ stat, quod ipsum cerebrum habeat morbum, “ illique primario succurendum sit: si ergo “ nulla ex prædictis partibus sensu aut motu “ aut utroque læsa fuerit, necesse est spinalem “ medullam laborare, aut aliquem nervorum ex “ ipsa prodeuntium affectum esse statuere. At-

\* “ Pueri et puellæ a natu usque ad pubertatem interdum membris capti sunt; verum horum valetudo vel semper fuit infirma, vel crebris distentionibus, accessionibusve epilepticis, aut chorea Sancti Viti con-quassata.” Heberden. Commentarii, p. 287.

“ tendito igitur diligenter, quæ sit pars affecta,  
“ et unde initium trahit, aut a qua vertebra id  
“ aut nervo recipiat, atque illi curationem adhi-  
“ beto : non autem, ut vulgo, symptomatibus  
“ tantum obsistito \*.” Debilitas, ipsissima quo-  
rundam medicorum larva, sanguinem ex parti-  
cula corporis aliqua nunquam prohibebit ; ubi  
quidem sanguinis missio criminata fuerit, ab ef-  
fectibus scilicet noxiis eam subsequentibus, in-  
venietur adeo large adhibita fuisse, ut corpus  
totum infirmaverit. Quis vero gentium non  
notavit commoda ab octo decemve hirudinibus,  
genu morboso admotis, et hoc cum febricula  
ægrum citissime consumeret ? Quis tamen me-  
dicus, simili in casu, sanguinem e brachio de-  
tracturus sit ? quidve secuturum jure suspicare-  
tur ? Hoc fundamento nititur sanguinis missio,  
qua proprie in chorea uterer : atque si ex uti-  
litate curationis supra præceptæ in aliis convul-  
sionibus † rationes deducere æquum sit, tunc  
utique eandem in chorea recte et tuto usurpa-  
bo.

\* Lib. I. Cap. xvi. p. 88.

† Vide Dr John Clarke's Commentaries, p. 106.

Medicis antiquioribus fortunate cesserat hæc curatio, sed neque rationes quibus innisi sint, neque quorsum sanatio laborantium referenda esset, memoriæ tradiderunt. BISSET, anno salutis MDCCLXVI qui scribebat, in morbo pervicaciore vesicatorium pone cervicem in primis, postea super os sacrum usui commendabat, dicisque non inutile esse posteriores cervices et spinam spiritu vini camphorato fovere auroris singulis: adjecit tamen, “I cannot conceive on  
“ what principle some eminent physicians re-  
“ commend repeated blood-letting and purging  
“ in this disease; which partakes of the nature  
“ of a palsy, and is most incident to young  
“ girls; and am inclined to believe, that some  
“ cases of it that have become exceeding obsti-  
“ nate, and of very long duration, have been  
“ rendered so by that unaccountable prac-  
“ tice \*.” Neque quibus ex causis vesicato-  
rium et fricationem se mandasse ulterius decla-  
rat. Mihi sane fundamentum curationis illud  
fuerit, molem sanguinis vascula ista ultra natu-

\* Medical Essays and Observations, p. 172.

ram dilatata adeuntis et complentis, talemque sui cumulum in iis contrahentis, utut nervorum origines irritant, motiones spasticas cieant, imminuere. (Hoc autem dissectio causam esse demonstravit, experimenta vero efficere posse ostenderunt \*.) Sanguine detracto, moles ejusdem in loco minuitur ; vesicatoriis et frictionibus vascula ut sese contrahent, nec ideo amplius turgeant, stimulantur : unde causa sublata, effectus evanescunt, atque salus, laborum corona, tentamina beat.

Torpor ventris s<sup>e</sup>pe tantus est, ut primo statim intuitu, quantum varii medici purgantium acriorum se præbuisse testati sunt, miraculum

\* Vir ingeniosus, JACOBUS SANDERIUS, qui summa laude Edinburgi medicinam facit, mihi animum initio impulit ad eam *spasmorum* rationem et curationem amplectendam, quam in hoc opusculo protuli. Neque sane iis unice innixus sum, quæ aut prælectionibus auditis didicet, aut ratiocinando judicaverim : quibus haud contentus, cadavera *spasmis* absumptorum incisa perscrutatus sum. Quinetiam, ne effectibus pro causis habitis, me fallerem, effeci ut irritamentis admotis, canes et equi, prius integerrima valetudine usi, convellantur : quorum corporibus introspectis, fontes nervorum, qui artus rigentes aut convulsos adirent, vasis præter naturam intumentibus scatere reperi : quam ipsissimam speciem eadem generis nervosi partes, alicui distentione aut rigore nervorum interempto, exhibent.

videatur ; attamen cum plenius cogitemus unde intestina motum proprium accipient, atque hunc, ut decet, a nervis oriri concedatur, tunc omnem functionum turbationem, quæ accesserit in nervos, referri oportebit : ipse quidem alvum vehementer contractam, per vesicatorium atque hirudines spinæ admotæ resolutam vidi, postquam purgantia omnigena frustra devorata fuissent. Verba ALIBERTII præclara neutiquam prætermitto : “ Les purgatifs n’ont point une propriété absolue sur l’économie animale ; leurs effets sont relatifs, non-seulement à leurs doses, mais encore au degré de la susceptibilité nerveuse du conduit intestinal \*.”

Sententias hasce meas auctoritas non destituet, si conclusiones de partium conditione, quam ars anatomica ostenderit, deducere æquum est : utique si his rationibus insistendo, morbus in sanitatem mutatus sit.

\* Nouveaux Elémens de Thérapeutique et de Matière Médicale, p. 270. tom. 1<sup>er</sup>.

De temporibus, roborantibus (seu tonicis) accommodatis omnino silui, quum ægri conditio, ut decet, curantis attentionem in quodcumque sanitatem optime restituat, ipsa direxerit.

APP.



## APPENDIX.

---

Qui sequuntur novem ægroti, feliciora uti exempla a Doctore JACOBO HAMILTON in libro suo æstimabile de Purgantium Utilitate exhibita sunt.

Names.	Age.	Admitted.	Discharged.	State.
Wm. Sinclair, ...	10...	1802. Aug. 2 ...	1802. Aug. 8 ...	Cured.
Eliz. Laurie,.....	14...	1803. Sept. 12 ...	1803. Sept. 27 ...	Cured.
Tho. Wylie, .....	9 ...	Dec. 28 ...	1804. Jan. 7 ...	Cured.
Da. Anderson, ...	8 ...	1804. Dec. 5 ...	Dec. 27 ...	Cured.
Anne Ross, .....	10...	1805. Mar. 2 ...	1805. Apr. 17 ...	Convalescent.
Eliz. Webster, ...	9 ...	Apr. 25 ...	June 11 ...	Cured.
Eliz. Webster, ...	10...	1806. Feb. 3 ...	1806. Feb. 13 ...	Cured.
Nelly Parker, ...	12...	1811. Apr. 8 ...	1811. Jun. 18 ...	Relieved.
James Palmer, ...	10...	1814. Nov. 1 ...	1815. Jan. 25 ...	Cured.

Curationes horum novem diligentius relegendo, quatuor inveniemus vinum liberaliter

assumpsisse, cuius effectus in morbum curandum aliis judicandum relinquo. Neque aliis cerevisia austerior, (*Porter*), carnes bubulæ, immo ferri quoque compositio quædam haud negata est. Notare solum habeo, quod hæc exempla a vermibus, sordibus cumulatis, aliisve in alvo irritamentis, pependisse oportuit: etenim si dentitione pependisset, gingivarum sacrificatio satis fuisse, dum purgantia, quotquot in materia medica recensentur, frustra devorassent. Si morbus iterum ab irritatione circa nervorum originem supervenisset, quam minime aut tonica aut roborantia malum solvere valuissent, antequam causa morbi efficiens ablata esset, manifestius est, quam quod verbis hic egeat.

Subsequentia novem quoque exempla a Doctore WRIGHT\* per zinci flores (oxidum zinci) tractata fuerant; medicamentum, scilicet multis annis in valetudinario Bristolensi, cui medicus præficiebatur ille, usurpatum.

\* Memoirs of the Medical Society of London, vol. iii. Appendix, p. 567.

Names.	Age.	Admitted.	Discharged.	State.
Job Marshall, ...	8 ...	1784. Feb. 2 ...	1784. May 19 ...	Cured.
Wm. Stadden, ...	13 ...	1785. Jan. 24 ...	1785. Feb. 5 ...	Cured.
Mary Brighton, ...	11 ...	Mar. 10 ...	Apr. 9 ...	Cured.
Tho. Mathews, ...	16 ...	Mar. 14 ...	Apr. 11 ...	Cured.
Mary Gardner, ...	9 $\frac{1}{2}$ ...	May 9 ...	May 19	Improper. The particular reason not specified,
Eliz. Jones, .....	17 ...	1786. Nov. 9 ...	1787. Feb. 5 ...	Cured.
Mary Higgens, ...	14 ...	1788. June 2 ...	1788. June 23 ...	Relieved.
W. Phillips, .....	15 ...	June 5 ...	Sept. 6 ...	Cured.
W. Haycock, ...	12 ...	July 11 ...	Aug. 16 ...	Cured.

Inde, doctissimus inquit, viderentur flores zinci saepius profuisse: alio tamen loco ægros duos narrat, quorum alter opio et camphora, alter vero balneo frigido, et decocto corticis cinchonæ sanatus est; zinci floribus antea, sed incassum adhibitis.

Hæc inter exemplaque HAMILTONII, discriminem aliquod intercessisse manifestum puto: neque animo meo vel scrupulus hæret dubitacionis, quin ratio utraque, prout morbus sibi ortus sit, æque profecerit.

Hic quidem abs re non forsitan longe esset, adnotare, vitæ genus ægro consuetum animad-

versione mereri. Victu ex animalibus, mihi  
videtur, aëre puro, exercitatione crebra uten-  
tes, alios afficiuntur, quam herbis arescentibus,  
victu farinaceo vitam ægre tolerantes : quod  
me saltem judice, rationem diversorum reme-  
diorum eodem in morbo proficientium, reddere  
posset.

FINIS.